SUB | NIEDERSÄCHSISCHE STAATS- UND UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK GÖTTINGEN

## Werk

**Titel:** Testamenti Veteris Biblia Sacra, sive Libri Canonici Priscae Judaeorum Ecclesiae ...

**Untertitel:** Latini recens ex Hebraeo facti, brevibusq[ue] Scholiis illustrati ab Immanuele Tr...

**Verlag:** Marnius; Aubrius; Typis Wechelianis

**Ort:** Hanoviae; Hanoviae

**Jahr:** 1603

**Kollektion:** VD17-Mainstream

**Gattung:** Bibel

**Werk Id:** PPN779279484

**PURL:** http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PID=PPN779279484|LOG_0003

**OPAC:** http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=779279484

## Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.
Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.
Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

## Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
Georg-August-Universität Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen
Germany
Email: gdz@sub.uni-goettingen.de

Illustrissimo Principi & Domino,

# D. FRIDERICO IIII. COMITI PALATINO AD RHENUM, ELECTORALIS dignitatis & Palatinatus hæredi, Bavariæ Duci, Domino meo clementissimo,

S. P.

*Primitias laboris nostri, Illustrißime Princeps, ante annos ferme tredecim Friderico III. Principi Illustrißimo, auo T. C. obtulimus. Obtulimus autem, quia auctor fuerat & caput instituti nostri, quia merebatur pietas illius, & quia virtuti illius spectata debebatur. Ex eo tempore non destiterunt viri boni & sacrarum literarum amantes quidam sermone, scriptis, precibus contendere, ut quod à me interdum ampliùs de locis quibusdam dici animadvertebant, aut à se moneri posse iudicabant, id huic secundo labori deputarem, operámq; tandẽ ἀναγνόσει darem. In primis autem instabant & urgebant illi, quòd libros Mosis atque historicos, duas primas veteris Testamenti partes, non satis copiosè notis ad captum multorum illustratas fuisse à nobis ostenderent. Obsequutus sum illorum voluntati: quo in officio præstando fateor me incrementum eruditionis percepisse cùm meæ operæ, tum alienis subsidiis benedicente Domino: pios verò pariter spero & confido accessionem aliquam, eámque (nisi me animus fallit) non contemnendam experturos. Nam & eos libros maximè, de quibus rogabar, locupletiores tralatione & interpretatione sua, & alios qui pleni multis videbantur esse, studio novo effeci pleniores. Hoc autem quicquid est quod avo tuo dicavimus, recognitum θεοφωνῶ T. C. & commendo patrocinio tuo, quia avi illius (quanti viri, Deus bone!) hæres legitimus es, quia meretur illud tuum in pietatem studium, & quia indoli debetur tuæ. Tuam itaque C. humiliter demißéque rogo & oro, ut studium meum gratiosè probes tamquam à Deo inditum, laborem accipias ut Deo sacrum, rem denique ipsam religiosè ac indesinenter colas, ut divinam ortu, argumento, & fructu. Vale.*

*Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi C. T. quàm diutißimè servet incolumem, te suo Spiritu æterno regat, & omni benedictione ornet augeátque cumulatißimè. Heidelbergæ, prid. Kal. April. 1587.*

Illustrissimo Potentissimoq; Principi & Domino,

# D. FRIDERICO III. COMITI PALATINO AD RHENUM, SACRI Romani imperii Electori primario, Bavariæ Duci, Domino nostro clementissimo, gratiam & pacem à Domino.

QUUMPRIMÙM ad hoc opus elaborandum venimus, Illustrissime PRINCEPS, non dubitavimus fore permultos, qui sive aliorum admiratione traducti, sive nostri fastidio alióve præjudicato abrepti institutum hoc nostrum abjecturi sint. Sed quia bonam causam judiciis ejusmodi anteponendam novimus, ac non adversantium animorum causâ aut perfidè aut ignaviter deserendam, inprimis vero spem facit verbo suo Dominus fore ut siquæ bene dicta sunt, tandem aliquando sub horam undecimam fortè aut desinentem diem bene accipiantur: freti Dei promissionibus, auctoritate T. C. bonorum votis, & exspectatione omnium, nunc demũ laboris nostri specimen in lucem edimus: quod faustum felixque sit Ecclesiæ Christi à Deo Patre & Domino JESU CHRISTO. Magnũ profectò, magnum præjudicium faciunt hoc eodem argumento scripti cùm Patrum, tum nostrorum hominum libri, quorum nos ipsi officiosam fidem & diligentiam summopere admiramur in evolvendis & explicandis Bibliis: majus eorum simplicitas, qui rivis illorum operâ ductis ita acquiescunt, ut vix uno aut altero anno fontes ipsos Veteris & Novi Testamenti investigent & consulant: maximum verò omnium, qui aut aliquam sui opinionem imbiberunt, aut malè de aliena fide studioque cogitantes quidlibet quamvis salutare futurum aversantur. Ac in primo quidem genere fideles multos conquiescere longè tutiùs judicamus, quam si extra oleas (quod ajunt) vagandi licentiam præfidentiùs sibi assumserint: quia tam multa piè, doctè, prudenter, ac modestè dicta sunt ab iis qui præcesserunt nobis, ut eorum nomine personas & scripta in pretio habeamus, vitia quæ occurrunt (prout labi, errare, decipi humanum est) cum bonis quæ protulerunt illi comparata, officiosè cõtegamus. Quid enim tam iniquũ esset quàm omissis bonis enumerare mala, quibus scriptores invidiosè & nefariè obruantur? Isti suis laudibus ac meritissimis per nos fruantur licet: quorũ nomine immortales Deo gratias agimus, quòd ex infirmis hisce ac fictilibus vasis placuit illa seligere & sanctificare ad gloriam ipsius tanto cum fructu tantaq; laude promovendam. In altero autem illo genere paulò amplius desiderare cogimur. Quum enim præclarè secum agi existimãt, si de rivulo humanitus ducto sorbeãt ubi fons præ foribus est, nihil mirum est si miseri justo Dei judicio tandem eò ad-

ducun-

ducuntur, ut paluſtri ulvâ implicentur & ſordibus inquinentur: quas etſi ſuo ipſi torpore contrahunt, tamen ut ab aliis arreptas mordicus deinde retinendas putant. At quanto meliùs veteres ex doctrina Johannis ad libros ſacrę ſcripturæ adhibendam fidem, ad ſua ſcripta judicium afferri poſtularunt! viderunt illi hoc pacto eſſe imperitiæ multorum & ſimplicitati conſulendum, nequando ſibi ſuisve aut ullius hominis ſcriptis divinus honor tribueretur: quem nemo ſibi ſine atrociſſima blaſphemia arrogare poteſt, nemo alteri ſine inſania tribuere. Tertium verò genus ut ebrioſum planè ac nauſeans, ſeriò ex animo oramus ut expergefaciat Dominus: quod genus alioqui nunquam huc adduxerimus, ut Chriſtum nobis adfuiſſe credat, infirmitatem noſtram ſublevaſſe, animóſque noſtros ſua glorioſa luce ad illuſtrationem doctrinæ ſuæ perfudiſſe. Certè Deus Opt. Max. voluntates noſtras (ut ita dicamus) ad hoc inſtitutum animavit; & nos quoque coram illo Chriſtianis omnibus ſine cujuſquam offenſa breviter & perſpicuè fidem officiumque noſtrum erga Deum, T. C. & totam Eccleſiam viciſſim teſtari voluimus. Quod ut melius cognoſcatur, paucis (ſi placet) de cauſa formaq; hujus tranſlationis, & de tota Lege apud T. C. diſſeremus.

Cauſſa hujus tranſlationis eſt duplex, altera communis omnium, altera ſingularis. Communis cauſa quæ nos ad hoc opus ſuſcipiendum adduxit, ea ipſa eſt qua Patres olim & homines noſtri hac noſtra memoria uſi ſunt. Illi enim quum Eccleſiam benè & ſolidè inſtitui cuperent, nihil tam neceſſarium & utile ad vetus Teſtamentum fore judicabant, quàm ut cum Hebræis fontibus omnia compararentur, & ex iis hauriretur veritas, & aliqua una tranſlatio cum Hebræo textu conformata in Eccleſia ſua invaleſceret. Cumque ab eo labore propter varias & graves occupationes quibus tum diſtinebantur, & propter ignorationem ſermonis Hebraici abſtinuerint, alii ad interpretationem LXX. confugiebant, alii hinc inde ex multorum interpretationibus corradebant quicquid aut ad ſcopum auctoris aut ad præſentem uſum videbant pertinere. Nam quod illi ad ſermones ſuos ferè quaſque interpretationes obvias præſentis ædificationis causâ rapiendo non ſatis ad firmitatem doctrinæ attenderunt (quum idem plerumque unum locum in varias ſentẽtias & interpretationes omiſſo ſcopo traduceret) utut præpoſterum eſt, in ea tamen ætate fuit tolerandum: cùm quia hominum in linguis exercitatorum penuria laborabat, tum vel maximè quia boni illi Eccleſiaſtæ cuique potiùs tenuiſſimo è plebe ruditer quàm doctis ſolidè operam dabant de-induſtria. Unus Hieronymus magis præmonſtravit viam, quàm aliquid dignum tanto hiatu præſtitit. Quapropter ipſe quoque & Auguſtinus infinitis locis deſiderium ſuum ſuper hac re abundè expoſuerunt. utcumque enim varias interpretationes laudent: eò tandem recidunt, Veteris inſtrumenti veritatem ex Hebræis exemplaribus, Novi verò è Græcis eruendam eſſe: ne multa, ſi populariter dicendum fuit, ſuis tranſlationes vulgatas; ſin limatè ac firmè, Hebræum textum adhibendum fuiſſe docent. Subſtituit quidem Auguſtinus LXX. interpretationem, eamque mirificè effert: quia neque melius videbat ut Hebraici ſermonis expers, neque religioſum exiſtimabat ab eorum interpretatione diſcedere. Quòd ſi quis hodie vulgatam Græcam hac auctoritate donaverit, faciet næ intelligendo ut nihil intelligat. Quis enim tot ineptias in tantorum (ſi credimus) hominum animos tanto conſenſu incidiſſe credat, quales ſingulis paginis offenduntur? tot corruptos locos? tot additos? tot amiſſos? quis denique eoſdem

esse cum antiquis exemplaribus putet, qui eos ipsos locos quos Evangelistæ, Apostoli & alii Patres de verbo ad verbum adduxerunt cum libris nostris contulerit? Exstant septem loquutionis libri ab Augustino scripti: in quibus quotusquisque est locus cui bene cum libris nostris conveniat? Quare cum illorum consensu libri Hebræorum omnibus anteponendi sint, Græci aut non iidem, aut certè omnium sint corruptissimi: optimè homines nostros de Repub. Christiana meritos esse confirmamus, qui studium suum, operam, laborem atque industriam contulerunt ut Ecclesiam Christi augerent renovatis & interpolatis translationibus Scripturæ, quibus utrumque quoad ejus fieri posset legentium oculis exhiberetur, genuinus sensus, & familiaris ad usum nostrum accommodatio. Maximas illis agimus & habemus gratias, quòd tam piè atque studiosè in hoc genus operis incumbentes toti Ecclesiæ bonum, nobis subsidium non mediocre attulerunt: quippe quum ædificatio Ecclesiæ & institutio studiosa istud ex parte consequendi & investigandi causam dederit, quod boni illi Patres vehementer expetebant. Jam verò si nos communem operam nostram studuimus in eadem re consumere, rebusque interdum corruptis puritatem, obscuris lucem, benè inventis confirmationem adhibere: pios omneis oratos per nomen Jesu Christi & obsecratos volumus, ut ne quæ exempla diligentiæ ab omnibus uno ore dilaudata sunt, ea imitandi nobis intercludant viam. De nullius nomine scientes detrahimus: tantùm accessionem opellæ nostræ fore Ecclesiæ utilem putavimus, & si aberit à legentium animis morositas atque αὐθάδεια, confidimus in Domino fructum aliquem ex studio hoc & labore nostro ad Christianos omneis perventurum. Hæc ergo prima fuit causa instituti nostri, veterum optatis confirmata & hominum nostrorum exemplis: quæ tamen si vidissemus omnibus ubique posse satisfacere, lubenter quidem certè labore isto supersedissemus. Huc verò altera causa accessit, quæ nos privatim attingit, & jam inde ab opere cœpto vehementer exstimulat: Ea est bonorum de nobis exspectatio & judicium nostri: quorum desiderium ut pro modulo nostro saltem ex parte expleamus, tutius tandem visum est Deo duce & succurrentibus piorum precibus rem periclitari, quàm ab illis accusari diffidentiæ inertiæve nomine. Periclitari autem? imò Deo nos laboremque nostrum certa cum fiducia venturæ ad Ecclesiam benedictionis ex labore nostro committere. Nos enim quicquid egimus in hoc instituto, bona fide (ita nos Deus amet) bona conscientia egimus: non alienam operam contemnentes, non aliorum beneficiis (quæ admiramur) invidentes, nemini præjudicati quicquam afferentes; sed simplice animo sententiam nostram, prout cum verbo Dei convenientiorem esse sensimus, adducentes: etiamque in posterum eos qui piè & fraternè commodius aliquid dicent audituri, fraternoque animo exosculaturi. Quid ergò? dixerit quispiam, vos aut illorum bonorum quos prædicatis exspectatione dignum, aut Ecclesiæ utile supra quàm quod à maioribus dictum est, aliquid profusuros arbitraremini? uno verbo satisfactum vellemus, si placidè acciperent: nos ab omni contentione ac comparatione (ut ferè odio invidiaque plena est) abhorrere, ac proinde malle ab ipsis judicari siquid bene & utiliter scripsimus, quàm ipsi in nos fœtidissimam hanc molestiam invidiosissimamque suscipere. Recepimus nos piè, breviter, dilucidè, ac modestè sententiam nostram allaturos. Illi se vicissim à nobis exorari sinant: unum petimus quod nemini bono molestum esse potest, ut prius le-

ùs legant, deinde judicent, ita laborem nostrum conveniente honore, nos verò benevolentia (quam ipsis æquè ex animo exhibemus) & charitate prosequantur. Denique idem flagitamus quod olim bonus ille senex: Quisquis hæc legit, ubi pariter certus est, pergat nobiscum: ubi pariter hæsitat, quærat nobiscum: ubi errorem suum cognoscit, redeat ad nos: ubi nostrum, revocet nos: Ita ingrediamur simul charitatis viam, tendentes ad eum de quo dictum est, Quærite faciem ejus semper. Ne quis tamen hac ratione sibi minimè satisfactum putet, ad alterum caput nostra se convertet oratio: nam forma translationis quam sequuti sumus, quæstionem totam explanabit. Constat apud omnes nihil æquè bono interpreti ex usu esse, quàm ut rem propositam intelligentia consequatur, & eam appositè reddat. Rei verò intelligentiam non tantùm ex serie & continuatione argumentorum, sed etiam ex verborum natura petendam esse. Dolet nobis, quòd aliquid gravius ad excusationem nostram factique nostri probationem dicendum est: sed tamen levissimam dumtaxat interpretandi partem verbi gratia attingemus, quam in superiorum interpretum libris locis non paucis desiderari comperimus. Regula est γραμματικωτάτη, singularem vocum naturam, constructionem earum, & interpunctionem observandam esse. At multa antehac fuerunt præter vocum naturam formamque reddita, voces detortæ, res constructæ aliæ ab aliis distractæ, earum interpunctiones quasi quædam sententiarum sepes avulsæ, denique multa advecta incommoda: quæ si nostrâ operâ saltem aliqua ex parte amoveri possint, omne punctum (quod ille ait) tulisse nobis videbimur. Ut autem nihil ampliùs de alieno labore cogamur dicere, ad formam nostram descendemus. Ad rectam intelligentiam rerum obtinendam, naturam singularum vocum expendimus; constructionem ex similium locorum comparatione, quàm maximè fieri potuit, observavimus; interpunctiones Hebræas, non ut otiosas (quod vulgus opinatur) sed plurimùm ad rem facientes retinuimus quanta commoditate potuimus; denique sermonis & argumentorum seriem accuratè exploravimus, ut evidentior esset illorum cohærentia. In quibus omnibus aptè & accommodatè reddendis, etiam Hebraici sermonis ordinem, ut per Latinam linguam licuit, servavimus, nisi aliud evidentia loci postularet: Hebraismos singulares & ἐμφατικωτέρους, quàm ut mutari possent, Patrum exemplo religiosè retinuimus, alios Latinè quàm optimè per nos fieri potuit expressimus in contextu, Hebræarum vocum interpretationem de verbo ad verbum margini apponentes, Barbarismos fugimus: denique enixi sumus ut Mosche Latinus Christianum orbem personet, idque eodem argumento, quo civium suorum & gentilium aures dum vixit personabat. Hæc voluimus, in hoc laboravimus, ad hoc contendimus pro facultate quam nobis Deus indidit: impari quidem conatu (quis enim rem tantam aptè & acommodatè ad materiam & usum illius ubique tractare possit?) sed tamen qui Deo & hominibus piis, speramus, non improbabitur.

Superest tertium caput, de quo nos apud T. C. acturos promisimus. Indignum esse hoc opus judicant multi, in quo transferendo toties laboretur, & nos quoque operam ludere, qui veteribus & obsoletis rebus novè dicendis incumbimus. Verùm Deus bone quàm falluntur illi! quàm procul à vero absunt qui veritatem absque principiis veritatis commodè putant innotescere! utinam verò illius dicti quo Augustinus utitur meminissent: Ecclesiæ Christi, quæ mater nostra est omnium, duo ubera esse, Vetus & Novum Testamentum,

ex quibus pii & fideles Dei partus in dies alimentum ſugunt, educantur, & adoleſcunt in Chriſto. Nunquam committerent, ut ſingularis iſta divinæ beneficentiæ planaque teſtificatio ignoratione, incuria, aut ignavia ulla concideret. Sed quid opus eſt nos ſingulas veteris teſtamenti laudes percurrere? auctoritatem confirmare? uſum commonſtrare? ſtabilitatem minutim expendere? Quæ neque hujus loci eſt explicare, neque inſtituti noſtri. Ad legem veniamus, de qua nobis ſermo primùm inſtitutus eſt. Legem vocamus ex Chriſti ipſius magiſtri noſtri auctoritate, doctorumq; hominum conſenſu, hos quinque libros quos conſcripſit Moſche. Quæ, obſecro, auctoritas, quis uſus ad hujus auctoritatem uſumque poſſet accedere? Auctoritatem nobis ſatis erit duobus argumentis oſtendere: quæ illi quidem oppugnando minimè convellent, ſed potius omnino labefactabunt auctoritatem illam, quam protervè ſibi ex Dei ipſius (ſi Deo placet) ſpoliis aucupantur. Primùm enim, unde melius poteſt cuique rei quàm ab ipſius auctore, conciliari auctoritas? At hujus Legis auctor eſt Deus Pater in Filio per Spiritum ſanctum: ad cujus præſentiam cælum exarſit, intremuit terra, Moſche exhorruit, Jiſraelitæ perterrefacti ſunt, dejecta denique omnia quæ ſuas vires cum hujus viribus auſa unquam ſunt committere. Deinde quo & quali inſtrumento uſus eſt Deus ad exponendam in Lege voluntatem ſuam? nónne Moſche ſacratiſſimo viro Dei ac Propheta, cui non fuit ſimilis in populo Dei, quicum Deus facie ad faciem loquutus eſt, & qui fuit ſervus fidelis in tota domo ejus? hæc teſtimonia qui tentat convellere ſua auctoritate, aut convulſa eſſe exiſtimat, indignus certè eſt cui auctoritas ulla tribuatur, aut habeatur fides. Nugæ, deliria, ſomnia, furores ſunt, quæcumque Manichæi & alii omnes ad auctoritatem iſtam obruendam inſanè congeſſerunt. Quid ergo? nónne Lex inveterata & abolita eſt? nónne fedus Novum in locum veteris ſuffectum? mendaciíne aut vanitatis ullius Apoſtolus ad Hebræos tenebitur? Abſit: non feremus Apoſtolo, qui hanc orationem habuit, ſuam veritatem adimi: ſed ea lege ut Chriſto quoque ſua conſtet dicenti, non veni ut abolerem ſed ut implerem Legem: quos locos Bernardus alicubi optimè comparavit. Itaque ad ipſum Legis, id eſt, totius Pentateuchi ſtatum veniamus, ut eo commodiùs quid abolitum, quídve ſtabile ſit, intelligatur. Legem Moſchis notum eſt ex duobus ſummis capitibus conſtare, factorum & juris. Ac hiſtoriam quidem factorum rerumque geſtarum, ſive à Deo in Eccleſia extráque Eccleſiam, ſive à rebus creatis; ne plura, ortum Eccleſiæ, & prima illa veſtigia benignitatis Dei in creatione adumbrata, in federe expreſſa, in operibus demonſtrata quis niſi inſanus intercidere patiatur? Sed de rebus ad jus pertinentibus gravior quæſtio eſt: de quibus quia propriè ſtatuuntur leges, eæque præcipuum locum in his libris & in Vetere Eccleſia ſummam auctoritatem obtinent, Legis nomine hi libri appellati ſunt. Nunc ergo auguſtiore paulo ſignificatione accipiamus Legem pro ea quæ (ut ait Tullius) ſcripto ſancit quod vult jubendo aut vetando. Sanè utralibet ſignificatione accipiamus, latiore illa, ſive hac anguſtiore, certum eſt eam totam à ſingulari illa Lege profluxiſſe, quam Patres legem communem & immutabilem Dei nominarunt, Cicero ſummam rationem inſitam in natura, &c. quaſi dicat Legem ſcriptam Legis naturæ partum eſſe, Legem verò naturalem Legis Dei qui ordinavit naturam. Quod ſi ita eſt, quid obſecro niſi cum ſumma ratione, cum natura, & cum Deo pugnat, qui oppugnat Legem? Sed quia Legis opera (ut Auguſtin. in epiſtol. ad Gal. ſcribit)

bipertita

bipertita ſunt, partim in ſacramentis, partim in moribus poſita: ſcitè omnino diſtinguendum eſt quid ex natura, quidve ad naturam in Lege acceſſerit. Ex lege naturæ ſunt hæc, imperare, vetare, punire, permittere, hoc eſt, leges morum, & legum repagula: Sacramenta (ut ipſum fedus, quod eſt Sacramentorum fundamentum) in acceſſionibus numerantur. Prioris generis membra quiſquis negat, ut taceamus tot leges naturæ inde à creatione uſque ad traditionem Legis imperatas atque obſervatas, viderit qua fronte Deo Legislatori adimat quod omnium civilium legum commune eſt. Legis virtus (inquit Modeſtinus) hæc eſt, imperare, vetare, punire, permittere: quæ (malùm) dementia eſt, ſublato horum officiorum uno aut altero Legem Dei facere ἀνάρετον? Præterea Deus ipſe, lex & veritas immutabilis legum, nò tantùm verbo ſuo ita ſe adumbravit boni auctorem & mali vindicem, ſed etiam operibus: quis autem minus verbo quàm operibus ineſſe putet? quod ſufficit ὡς ἰδιάτατα ad hominem perfectum reddendum & comparatum ad omne opus bonum. Item regula juſti & injuſti in Deo atque in lege ejus eadem eſt & ſemper immutabilis: Juſtum autem peræquè eſt puniri mala, ac imperari bona aut vetari mala: ergo pœnarum quoq; jus eſt immutabile. Ampliùs dicemus, Quorum cauſæ æternę ſunt, eorum quoq; jus eſt æternum & immutabile: Eſt ergo æternum & immutabile jus in ſingulis hiſce capitibus. Neq; tamẽ hæc ita accipi volumus, ut hac ratione pœnas Legis, ſingulas inquam cautiones & formulas earum, quæ ad leges judiciales moresq; pertinent, accuratè præcipiamus obſervari: Nequaquam: ſed jus ipſum & ſubſtantiam legum omneis omnino ſervare Deus omni loco imperat, ſingulares verò formulas & cautiones quæ in perſonis, rebus, locis, aliisq; circumſtantiis ſunt poſitæ, liberas reliquit, modò nihil de jure ipſius, de ſubſtantia Legis, de æquitate derogetur. Sunt enim iſtæ formulæ acceſſiones Legis, ac proinde ex Rerumpub. perſonarũ, temporum, locorumq; natura, forma, & conſtitutione mutabiles. Quę quidem omnia ita conceſſit Deus utenda mutandáve bonorum arbitratu, ut nihil decedat de naturæ jure: quamobrem inter permiſſiones ponenda ſunt. Verbi gratia: Publicum liberatorem ducemq; populo dederat Deus, & Rempub. Jiſraëlitarũ inſtituerat: permittente Lege in Monarchiam abiit: neutrum à Lege naturæ diſcrepat, ſed optimum eſt (ſi bene adhibebitur) ad eam conſervandam vinculum atq; ſepimentum. In privatis judiciis capitales quidem cauſas planè definivit: aliis verò καθολικὰς quaſdam regulas juris circumpoſuit, ut ii qui juri dicundo præſunt cætera quæ tendunt ad eamdem utilitatem vel interpretatione vel certa juriſdictione ſuppleant: itaq; jus definivit, ut factorum ſingula momenta voluerit à judicibus explorari, & pro occaſionibus circumſtantiisq; judicari ad normam Legis. Ejuſmodi ſunt leges de damno mulieri gravidæ illato, de pauperie quam fecit quadrupes, Exod. 21. & aliæ quamplurimæ. Poſtremò documentorum quæ in judicialibus illis Legibus tradita ſunt, alia omnium temporum ſunt, alia totius temporis quo in terra promiſſa verſati ſunt Jiſraëlitæ, alia Monarchiæ conſiſtentis, alia Oligarchiæ, alia deniq; ambulatoriæ illius Jiſraëlitarum Reipubl. quum ex Ægypto profecti Cenaãanæam peterent: cujuſmodi ſunt caſtrorum ordines Numer. ſecundo, & paxilli uſus, Deuteronom. 23. capite, verſ. nono. Horum verò omnium ſubſtantiam & æquitatem inviolatam ſervandam eſſe res ipſa loquitur, & Apoſtolus convenienter poſtremis duobus locis omne honeſtè & ex ordine fieri in Eccleſia jubet. Quòd ſi horum quæ Apoſtolus præcipit fontes ex Lege ſunt, multo magis juſti & injuſti ratio ex illa depromenda eſt. Nec refert quod objiciunt quidam nihil horum in novo Teſtamento adduci à

Christo aut Apostolis ejus. Primùm enim ut omittam falsitatem istius cavilli quæ ex multis locis deprehendi potest; sciunt, adeoque testis est ipsorum animus & conscientia, Christum non fuisse aut adulteræ damnandæ, aut familiæ herciscundæ judicem datum aut vocatum à Deo: ipsum quoque, cujus nos imitatores esse oportet, justitiam omnem implevisse, ideoque tum ex ipsius ore, tum ex Apostolorum scriptis, idem jus morale ad sanctificationem præstitui in novo Testamento ac jubebat Vetus: denique Christum non ita graviter aut sæpe de judiciorum statu contendisse, quia ne ipsi quidem Pharisæi de eo ambigebant, quod pervicacissima & contumacissima assentatorum turba ad delinienda Principum ora ferè sibi arrogavit. Jam verò demus istis hominibus judiciales leges etiam in re hac corruisse: quò tandem res deventura est? Conferamus omnes rationes ad judicia bene constituenda, & summam illam rationem insitam in natura aliquando tandem investigemus. An illi ex unius hominis quamvis consultissimi, consilii, gentis, populi, temporis, denique omnium simul hominum rationibus eruent? Minimè verò, sed maximam evertendis ac everrendis Rebuspub. fenestram aperient: alius ajet, alius negabit, alius deliberandum censebit. Nos verò qui aliquam in natura, totam in Deo judiciorum normam sitam agnoscimus, quantò melius iis regulis juris acquiescemus, quas ne illi quidem à Deo profectas esse negaverint qui eas abdicant? Currant illi præcipites in sua illa volubili & lubrica hominum ratione, & populari auræ acclament plausibiliter: nobiscum optimè agetur, si vestigiis illis hærebimus quæ in his libris impressit certissima ac constantissima Dei sapientia, per quam Reges regnant & Principes decernunt justitiam. In sacramentis verò sive ceremoniis longè dissimilis ratio est. Primùm enim ceremoniæ non sunt naturæ, sed gratiæ & federis; quod etsi unicum est, varias tamen formas pro dispensatione Dei induit: deinde non sunt res bonæ ex se, sed signa rerum comprehensarum federe ex institutione Dei; neque ubique gentium, aut inde à creatione mundi; sed loco definito, certo tempore, & in suum tempus erant constitutæ: postremò non propter se datæ, sed ad perpetui federis obligationem, gratam præteriti præsentisque beneficii recordationem, professionem officii nostri, & figurationem venturi corporis in Christo, in quo fedus ictum est & omnia consummata. Ex quibus omnibus conficitur, jus quidem morum ac federis perpetuum esse, signa verò, formas & ceremonias, etiam quæ legibus moralibus & judicialibus commixtæ sunt (ut ita dicamus) ambulatorias. Hîc verò admirabilis est adversariorum oscitantia. Nam Apostolum ad Hebræos uno loco de sacerdotio Christi agere (quod totum in Vetere populo fuit ceremoniis adumbratum) in altero de forma testificandi exhibendique federis res ipsa loquitur. Atqui non sumus, inquiunt, sub Lege, sed sub gratia. Mirum non videre illos, neque animadvertere, ubicumque lex opponitur gratiæ, considerari legem nudam à gratia, id est, legem illam peccati nostri indicem, inflammatricem, & vindicem, nostrúmque omnium carnificem: gratiâ verò non justitiam Dei quam Lex commonstrat, sed peccatum nostrum aboleri in Christo, ut peccato mortui vivamus Deo in Lege Christi, hoc est, in sanctimonia, charitate, & pace per fidem ipsius: in summa, non legem justi & injusti, sed vim Legis nos alioqui cum peccatis nostris pessumdaturam averti. Christus profectò sibi ipse constat, neq; idem implet Legem & abolet. Itaq; formulas illas legis in circumstantiis positas & ceremonias ex ipsius quoq; Legis testimonio intercidisse concedimus:

mus: sed sacrosanctam illam doctrinam, magistram vitæ, speculum justitiæ Dei, indicem peccati nostri, prænunciam & testem gratiæ, cujus complementum est Christus, illam omnino retinemus in Ecclesia Dei. Quæ cùm ità sint, primùm oramus Deum sanctissimæ hujus doctrinæ fontem, ut veritatem suam Vetere Novóque Testamento explicatam suorum animis inscribat, & ab ingenii humani sordibus æterna Spiritus sui virtute vindicet in Christo: deinde verò Christianos omneis, quibus pietas & salus est cordi, ne aut nos ad ostentum in opere tam necessario lusisse existiment, aut seipsos tempus in eo legendo inaniter consumturos. Infiniti sunt thesauri, qui se ultrò piorum animis in hac scriptione versantibus offerunt. Nihil gravius de miseria nostra, nihil altius de misericordia Dei prædicari potest, quàm quæ hîc breviter à Mosche dicta, à nobis quàm commodissimè & convenientissimè fieri potuit exposita sunt. Tuam verò C. Illustrissime Princeps, pro ea pietate quam tecum prolixè communicavit Deus scriptionum hujusmodi studiosissimam, scripti hujus nostri vindicem & assertorem appellamus. Nam cui melius opus Moschis Principis in populo Dei humanissimi & consultissimi tribuamus, quàm tibi? qui tuum illum pietatis æstum quo magis excitas, eo magis exsultas; qui ad æqui & boni scientiam comparandam, justitiam colendam, augendam sanctificationem, pacem continendam, tuendam deniq; Dei auctoritatem pro administratione quæ tibi commissa est, animum advertis; cujus auctoritas nos ad istud opus aggrediendum provocavit, & adjuvit beneficentia.

Quæsumus itaque à T. C. ut illo spectato zelo erga Dei gloriam & Scripturam gloriæ illius administram in dies magis exardescens, hoc divinum opus nostrâ operâ (nisi nos animus fallit) aliquanto limatius humaniter excipias, ut pignus fidei animíque nostri erga T. C. studiosissimi: ut nos eo confidentiùs tua auctoritate freti & bonorum votis, reliquis operibus, quorum altera pars jam propè beneficio Dei confecta est, pergamus incumbere. Vale Princeps Illustrissime.

Dominus T. C. quàm diutissimè incolumem servet, tibi adsit, te suo Spiritu regat, & omni benedictionum genere ornet cumulatissimè. Iterum vale.

T. C.

servi addictissimi,

IMMANUEL TREMELLIUS.
FRANCISCUS JUNIUS.